



DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
**PVRPVRA PVERPERARVM**  
**SYMPTOMATICA**  
**EX VTERI INFLAMMATIONE**

QVAM  
IVSSV ET AVCTORITATE  
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
IN REGIA FRIDERICIANA  
SPECIMINIS LOCO  
PRO GRADV DOCTORIS  
SVMMISQUE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBVS RITE IMPETRANDIS  
DIE IV. APRILIS MDCCCLIII.

ERUDITORVM CENSVRAE EXHIBVIT  
SAMVEL LOEW SOBERNHEIM

## MOGONO - BINGENSIS

## GENTE IVDAEVS.

A decorative horizontal border consisting of a repeating pattern of small black asterisks (\*).

HALAE MAGDEBURGICAE  
EX OFFICINA HILLIGERIANA.

DISTRIBUTIO INAGARIA MEDICO

PRAEVARA PFERDARVM  
SINTONIÆ  
EX VETERIBVS ANTIQVNIS

GRATIAS MEDICORVM ORDINIS

ANALOGIÆ MUNIMENTVM

PRO GRADA DOCTORI

SUPERIORIS IN MEDIIS VITÆ DOCTORIS ET PFERDARVM

DOCTORIS IN PFERDARVM

DOCTORIS IN PFERDARVM

TRIBULORVM INSURGENTIUM

AVT OFICIOV SODIUM



DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
PVRPVRA PVERPERARVM SYMPTO-  
MATICA EX VTERI INFLAMMATIONE.

---

PROOEMIVM.



Omnis quidem *femina*, teste antiquissimo HIPPOCRATE, & communis experientiae suffragio, *morbum bis patitur*, longeque plures ac saepe grauiores, quam nobilior sexus, sufferre debet aegritudines; nihilominus tamen, si verum fateri licet, grauidae in primis atque puerperae cum variis, iisque pessimis conflictari debent malis. Mulieres enim quamprimum vtero gerunt, quot quaelo & quantas suscipiunt molestias? siquidem mox nauseam & laboriosos

A 2

vomen-

vomendi conatus, ipsosque vomitus experiuntur, mox de nimis molesto foetus motu, de inquietis noctibus, difficii respiratione, alui & vrinnae retentione, pedibus tumidis & varicibus hinc inde obsitis, aliisque huius generis pluribus conqueruntur, vel mox etiam, quod peius & saepe cum vitae periculo coniunctum est, premature foetum excludunt. Quodsi autem, hoc ipso feliciter retento, legitimum partus tempus ingruit, similiter profecto varia imminent pericula, quae non raro ita sunt comparata, ut matrem pariter, ac ipsum foetum, dulci vitae usura priuent. Fit hoc quam maxime sub difficiili, vel inani pariendi conatu, qui etiam, licet adhuc succedat, tantam plerumque corporis imbecillitatem, & ad suscipiendos vari generis morbos proclivitatem relinquit, quae malorum numero plurium fertilissima existit causa. Nolo iam omnes ac singulos enumerare morbos puerperis familiares; hoc tamen silentio praeterire nequeo, quod hodie praeferit vteri inflammations, atque purpura tam rubra, quam alba, frequentissime in puerperio occurrant, magnamque saepe edant stragem. Solet autem purpuraceum exanthema aut idiopathicum referre adfectum, aut symptomatice tantum aliis morbis accedere, & maxi-

P R O O E M I U M .

maxime quoque vterinae inflammationi malo  
plerumque omne iungi. Quae vero licet ita  
sint, satisque frequenter eueniant, miror tamen,  
quod in tanta scriptorum de purpura editorum  
copia, paucissima tantum reperiantur, in qui-  
bus *purpura puerarum symptomatica, ex vte-*  
*ro inflammato suborta, paullo fusius & accu-*  
*ratius pertractaretur.* Quum mihi itaque ad  
summos in Medicina honores adspiranti a gra-  
tiosa Facultate Medica demandatum sit, vt ali-  
quod meae in academiis adhibitae diligentiae,  
indeque mihi comparatae qualiscunque scientiae  
medicae specimen in publicum ederem, operaे  
omnino pretium me facturum esse existimau, si  
praesens hoc, quod de purpura puerarum  
symptomatica, vterinae inflammationis comite  
vel pedissequa agit, pro viribus elaborarem. Fa-  
xit modo Numen diuinum, a quo omnia mor-  
talium pendent bona, vt coeptum meum feli-  
citer succedat, ut ille in generis humani  
comodum & artis salutaris cedat emolu-  
mentum!

6      *De purpura puerarum symptomatica*

§. I.

**P**urpura, siue exanthema illud, quod sub specie pustularum, semen milii aemulantium, in summa cute efflorescit, hodie tam frequens, & Medicis non minus, quam vulgo adeo cognitum est, vt actum agere viderer, si, quibus signis & characteribus ab aliis differat exanthematibus, iam longo vellem sermone expondere. Multo magis scopo meo consentaneum, & ad veritates quasdam in sequentibus rectius intelligendas necessarium fore puto, varias purpurae species & differentias inter se paucis hic indicare, vt quid de singulis iudicandum sit, vel ad quam classem nostra, quam tractamus, speciatim pertineat, eo clarius innoteſcat.

§. II.

Primo autem purpura merito dispescitur in *rubram* & *albam*. *Rubra* dicitur, vbi pustulae rotae, in inferiori praesertim ambitu, rubent; *alba* contra nominatur, si peripheria papularum pallescit, quod vel statim inter initia eruptionis, vel demum sub ipsius progressu accedit, ita quidem, vt rubedine sensim euanescente pustulae instar seminis milii albescant, humoreque spissio & quasi purulento farcta videantur. His non inepte tertia addi potest species, *purpura vesicularis*, quando scilicet pustulae in ima parte rubentes in apice albescunt, & differentis magnitudinis vesiculos, ordinariis saepe maiores, humore limpido ac transparente repletas, referrunt. Atque haec purpura perperam a nonnullis, rei non satis gnaris, pro vera alba habetur, a qua tamen respectu pelluciditatis vesicularum plane differt.

§. III.

§. III.

Alia dein purpura est *maligna*, quae se partim gravitate symptomatum manifestat, dum aegrotantes insigni corporis lassitudine, viriumque magna & ad lipothymias saepe aucta prostratione, anxietatibus praecordiorum maximis, vomibunda nausea ipsisque saepe vomitibus, sudoribus largissimis, variisque spasmis & convolutionibus adficiuntur, partim vero ex periculo & funesto, quem in plerisque fortitur, exitu cognoscitur. Atque has malignitatis notas purpura in primis alba, siue miliaris, prae se ferre solet, quae ideo a Medicis numquam fere non habetur maligna. Alia vero rursus est *benigna*, quae sub specie febris catarrhalis incedens tam ratione symptomatum mitiorum, quam respectu melioris euentus, intuitu malignae, recte dici meretur benigna.

§. IV.

Datur porro purpura *acuta*, seu cum febre plus minus acuta coniuncta, & *chronica*, a nonnullis *scorbutica* dicta, quae vel cum leniori quadam febrili commotione, vel sine illa, corpora de cetero sana solet corripere, ea que per plures septimanas, aut menses, praecipue aestiuos, grauiter vexare.

§. V.

Saepe quoque purpura tam rubra, quam alba, pri-  
marium & *idiopathicum* constituit morbum, non raro  
tamen est *symptomatica*, seu tanquam morbus secunda-  
rius aliis accedit passionibus. Sic enim certa experien-  
tiae fide, & grauissimo b HOFFMANNI testimonio in  
*Med. system Tom. III. P. I. Sect. I Cap IX.* constat, ean-  
dem febribus continuis & ardentibus, synochis putridis,  
vario-

variolosis, morbilliosis, petechialibus & petechizantibus,  
aliisque epidemicis in declinatione saepissime accedere,  
& nouam febrem cum pessimis inducere symptomatibus.

§. VI.

Quum autem purpura symptomatica acutis potissimum febribus nostra aetate tam facile complicetur, sane non mirum est, quod etiam puerperas, quibus aliquin praecipue familiaris esse solet, tum maxime temporis symptomatice infestet, quando inflammatione, seu febre laborant vterina. Videamus igitur ipsius historiam, & primo quidem grauiorem vteri inflammationem, quae cum febre intensa albam praeſertim purpura comitem habet, consideremus, ut quia facie, quibusque symptomatibus vterque hic affectus incedat, paucis intelligatur.

§. VII.

Quodsi ex quacunque causa puerperae vterus grauiter inflammatur, sanguinis, vel mucidi humoris ex vtero excretio cessat, febris valde acuta vrget, & labrantes de fixo, eoque ardente in inguine dolore, lumbos imumque ventrem simul occupante, de molesta abdominis inflatione, de miectu, ad quem crebrius stimulantur, difficile & dolorifico, & de alii suppressione conqueruntur, vehementes praecordiorum anxietates, respirationem aegerrimam, inquietudines, noctes insomnes, deliria, aliaque plura experiuntur symptomata, subiectis acuta laborantibus alias solemnia. Haec dum ita eueniunt, satis quidem grauiter adſciunt, & non parvum incutunt metum, longe tamen sunt peiora grauioribusque stipata symptomatibus, si forte, vel pri-

mis

mis statim diebus, vel maxime circa diem septimum & nonum purpura alba, siue sola, siue rubra simul intermixta, hinc inde in cute appetat. Tum quippe, praegressa in quibusdam horripilatione, major fit corporis interna exaestuatio, praecordia, antea iam constricta, altis interpositis suspiriis, summe anguntur, inquietudines mirum augentur, somnus vel plane deficit, vel terrificis turbatur insomniis, viriumque saepe tanta est prostratio, ut sub situ praesertim corporis erecto facile animo linquantur aegrotantes. Et ut patitis omnia comprehendam, summum adest periculum, quod eo magis imminet, eoque certius lethalem adfert exitum, quando tendines subsiliunt, & internis valde aestuantibus extrema frigent algidoque & copiosissimo profunduntur sudore, aut si externa ardent, & in partibus contra internis aduersus frigoris percipitur sensus; siquidem tum facilissimus ad sphacelum internum transitus est, vel hic ipse iam reuera latet. De his omnibus b. HOFFMANN-NVS in *Med. systemat. Tom. IV. Part. I. Sect. II. Cap. V.* §. III. in hunc modum egregie differit: *Grauior vteri inflammatio, quae febre intensa, & saepius symptomatis de vehementia non remittentibus stipatur, septimo, nono, vel etiam undecimo saepe die necat, superueniente maxime purpura alba, quae pessimum semper praebet omen, atque ex corrupto, putrido, vappescente sero ac sanguine, in vteri latibulis haerente, ortum dicit, imo de corrupto iam & sphacelato vtero testatur.*

## §. VIII.

At vero, datur etiam leuioris inflammationis vterinae species, quae puerperis non raro, propter spasticas vteri stricturas, sub febris laetae insultu excitatas,

B

acci-

accidit; febrem tamen longe mitiorem iunctam habet; facilioremque recipit sanationem, si haec modo rite adornetur, vterique purgamenta, quae antea vel parcius manabant, vel ad tempus desinebant, decenter rursus effluant. Saepe tamen & huic iungitur purpura, eaque praesertim rubra, aut vesicularis, non sine insigni morbi augmento; siquidem tum febris plerumque maior accedit, pectus angitur, animus est inquietus, somnus valde turbatur, & quae sunt huius generis plura. Haec omnia tamen minime adeo mala sunt, ut prorsus nullam, vel aequa difficilem, ac in priori casu, admittant medicationem, vt haec potius satis bene succedat, nisi vel alba complicetur purpura, & necessaria quae-dam in diaeta medendique methodo omittantur, vel nisi forsitan interna viscerum labes, magnaque humorum dyscrasia subsit, aut nimia naturae imbecillitas, ex prae-gressis contracta causis, concurrat, quae spem conceptam frustrentur.

### §. IX.

Iam merito incidit quaestio: cur puerperae non modo generatim ex variis caulis, sed speciatim quoque ex vteri inflammatione, purpura tam crebro hodie corripiantur? In quo quidem demonstrando utilissimum fore puto, ad ipsam respicere grauiditatem, & mutationes sub eadem & in puerperio euenientes paulo accuratius considerare. Grauidae autem pleraequem primis & ultimis praegnationis mensibus non omnem sanguinem in foetus alimentum absumunt, ideoque, si praesertim otio ciborumque repletioni indulgent, & venae-sectionem omittunt, facile multum abundantemque colligunt sanguinem, qui deinde per intricatam vteri vasos-

vasorum compagem, & per reliquos canales plus iusto  
distantes & relaxatos tardius impeditiusque circumactus,  
hinc inde stagnat, & stagnando non solum crassus visci-  
dusque euadit, verum etiam, accedente alui segnitie,  
parciori diluente potu, ciborumque incongruorum vnu  
& impeditiori transpirationis successu, impuritatem con-  
trahit. Iam quidem saluberrimo naturae consilio san-  
guinis & humorum impurorum, sub grauiditate colle-  
ctorum copia, foetu excluso, per oscula vasorum hian-  
tia, secundinis antea continua, sub nomine lochialis  
fluxus expurgatur. Quodsi vero, salutari hoc fluxu ex  
quacunque causa interrupto, vel plane cohibito, impu-  
ritates illae non excernuntur, facile postea, accedente  
circa tertium diem febre lactea, inuerso motu ad vas  
maiora ipsumque cor refunduntur, & nouam accendent  
febrem, cuius ope demum ad summam cutem protrusae  
purpuram constituant.

## §. X.

Quae vero cum ita fint, vt purpura ex rationibus  
iam allegatis tam frequenter hodie puerperas inuadat,  
nihil sane mirum est, quod inflammationi etiam vteri-  
nae, in puerperio subnatae, tam facile superueniat.  
Haec ipsa enim si praesens est, (est autem noltris tem-  
poribus, ob lautam, vinosam & aromaticam diaetam,  
ob vitam desidem & animi affectuum intemperantiam  
frequentissime,) fluxus lochiorum subsistit (§. VII.  
VIII.); hinc fordes excrementitiae plus minus putridae  
remanent, aestuque febrili, stasin inflammatoriam co-  
mitante, subtiliores acrioresque redditae, massam san-  
guinis & humorum acrimonia, & alia qualicunque labo  
imbiunt, vel tamen antea iam contractam adaugent,

12      *De purpura puerperarum symptomatica*

quae deinde neruosas sensibilesque partes exstimplat, vt motus auctiores ad ipsius eliminationem suscipiant, eandemque ad peripheriam corporis propellant. Quod vero si accidit, tenerima sordium portio sub sudore, specialissimum odorem acido-sulphureum spirante, exhalat, reliqua vero lymphae mucidae permixta, & ad glandulas subcutaneas deposita, cuticulam arrodenudo & eleuando, papulas miliares efformat.

§. XI.

Minime tamen mens nostra eo redit, ac si purpura vterinae inflammationi semper & necessario adiungatur; sed hoc tum potissimum accidit, quando sub grauiditate, vel in puerperio, ex causis §. praeced. adductis, miasma purpuraceum fuit ingeneratum, vel saltem materia quaedam impura in corpore collecta, ex qua illud proxime potest progigni. Quod vel ideo monendum esse duximus, vt paucis indicemus, purpuram inflammationis in utero obortae non necessarium, sed accidentale potius symptoma esse, licet non negauerim, quod nostro aeuo seipissime eandem comitetur.

§. XII.

Si rationem quaeris, cur mox alba, mox vero rubra prodeat purpura, haec sane vix melius reddi poterit, ac si causam vtriusque exanthematis materialem paucis hic euoluere studemus. Iam quidem vnamini Medicorum consensu purpuracea materia, generatim spectata, videtur acris, subtilis, caustica, sero & lymphae potissimum immersa, quod partim ex molesto illo rosionis, ardoris & punctio[n]is sensu, ipsiusque cuticulae erosione, partim vero ex spasmis & convulsiis motibus, sub purpurae vel segniori eruptione, vel retrocessione obortis, lucu-

luculenter admodum appetet. In determinanda autem speciali materiae, vtramque purpuram constituentis, inde, auctores in varias & plane inter se diuersas abeunt sententias. Nostrum non est, hanc item iam dirimere. Si quid tamen statuendum est, a vero non ab ludere videamus, si Illustri b. m. HOFFMANNO ad sensum praebemus, qui, ratione & experientia suffultus, in *Med. systemat. Tom. IV. P. I. Cap. IX.* rationibus satis ponderosis euicit, lympham alba in purpura acore esse infectam, seu ad acido-vappidam corruptionem, quam grauidae plures sub difficulti sanguinis & humorum per vterum ita redituque contraherent, inclinare, in rubra contra serum acre salino-sulphureum peccare, molestique pruritus & ardoris, qui in hac plerumque maior esse solet, causam existere.

§. XIII.

Vt vero praeципua argumenta, quae experientissimum hunc virum ad hoc credendum impulerunt, brevibus nunc & quasi in transitu indicem, sciendum erit, illum ipsum acescentem lymphae indolem alba in purpura exinde concludere, tum quia feminarum plurimae, ob humoris serofo-lymphatici redundantiam, acido-vappidae humorum corruptioni quam maxime patent, tum vero etiam, quia nimia seri per sudores, vrinam, alui fluxum, & saepe quoque per saliuationem separatio ipsius praesentiam non obscure videtur innuere. In rubra autem purpura acrimoniam seri salino-sulphuream in culpa esse, non modo ex insigni cutis ardore ac pruritu hariolatur, sed ideo quoque statuit, quia rubrum hoc exanthema in primis subiecta sero acri inquinata, ut scorbuticos, senes, otiosos, diaetae falsae & vinosa ad-

14      *De purpura puerparum symptomatica*

suetos solet corripere, itemque post corporis refrigerationem, indeque turbatam transpirationem, nec non post nimiam corporis commotionem, vel remediorum calefacientium abusum, originem sumere.

§. XIV.

Quod vero speciatim ad *vesicularum* attinet *purpuram*, videtur haec rubrae progenies esse, siue ad ipsius naturam proxime accedere. In rubra enim, vbi fere deflorescit, aequae subinde pustulae in apice albescentes pelliculaeque euadunt. Quando igitur ipsae vel statim inter initia sub forma vesicularum in conspectum veniunt, recte omnino, ad errorem quemuis vitandum, peculiari exanthematis nomine insigniuntur. Quae vero cum ita sint, parum certe vesicularis purpura, respectu causae materialis, a rubra differre videtur, nisi quod maiorem seri redundantiam arguat & pro causa simul agnoscat. Et hinc quoque deducenda est ratio, cur corpora in primis serosa occupet, & cur pustulae in eadem albescant, variaeque magnitudinis vesiculas, seroso limpido humore turgidas, referant.

§. XV.

Tum quoque, si a peculiari materiae qualitate recedimus, ratio differentis in purpura coloris in eo simul residere videtur. Materiae peccantis ad peripheriam corporis propulsio sine debito sanguinis ad cutim motu coicisci nequit. Hic ipse igitur, si paulo fortior vegetiorque est, sine dubio quoque portio sanguinis subtilior intimus sub cutim per tubulos capillares arteriosos simul aduehitur; vnde cutis cum inferiori pustularum ambitu rubescens purpuram rubram repreäsentat. Atque tale quid

quid in hac purpurae specie eo facilius potest contingere, quia in eadem simpliciter considerata raro tanta, quam in alba, virium obseruatur deiectio, vt potius hac ipsa praesente pustulæ plerumque malo omne minus rubent, seu ex rubro pallescant. In vesiculari purpura similiter quidem viuidior sanguinis ad ambitum corporis motus supponi potest, si modo probe consideremus, quod in hac redundans serosi humoris copia eo conferat, vt pustulæ in imo rubentes in vesiculas explicitentur. Alter vero res sece habet in purpura miliaria alba, quam mox ab initio notabilis motuum se- & excretoriorum comitantur imbecillitas; vnde materia quidem maligna ex parte ad cutem lento debilique gradu amandatur, reliqua vero satis actiua, in partibus neruosis & internis nobilio-ribus restitans, ibidem vehementes spasticos & convul- siuos ciet motus, cum malo plerumque exitu.

**§. XVI.**

Iam non erit incongruum, nec a scopo nostro alienum, paucis simul hic euoluere: cur purpura alba grauiorem, seu profundiorum, rubra vero ac vesicularis leuiorem sive superficialem vteri inflammationem vt plurimum comitetur, vel excipiat (§. VII. VIII.)? Quod ad primum attinet momentum, probe hic attendendum esse puto, albam purpuram a lympha ad acido - vappidi-  
dam, seu putridam indolem inclinante, qualis saepe iam in statu grauiditatis colligitur, suos mutuari natales. Quodsi igitur puerperae, edito iam partu, vteri inflam-  
matione, eaque grauiori & profundius sita, corripiuntur, tum per muliebre hoc viscus, hinc inde obstructum multoque cruento farctum, longe impeditior fit sanguinis & humorum transitus, quam in leuiori. Ergo etiam saluta-

16      *De purpura puerarum symptomatica*

salutaris lochiorum fluxus emanens difficillime redit, & hinc maior succorum omnium, maximeque lymphaticorum, spurcites accumulatur, vel ea minimum, quae iam praesens est, adaugetur. Dein quoque febris valde intensa vrget, cuius impetu iidem succi a blanda & temperata crasi sua longe magis desciscunt, corrumpuntur, & tanquam peregrini & a consortio fluidorum vitalium alieni, nouo febris insultu, licet debiliori & impari naturae conatu, ad peripheriam corporis sub specie albae purpurae ablegantur; quae vero tantum abest, vt aliquod adferat commodum, vt potius grauius praefagiatur periculum. Vbi enim delibatissimum illud lymphaticum fluidum, cuius subtilior portio liquido cerebri & neruorum agilissimo inseruit, pars autem gelatinosa nutritiō corpori dicata est, & tenuis aquæ sanguini rursus perfusa eius fluiditatē conseruare debet, quacunque ratione in temperie sua immutatur atque corrumpitur, vires a morbo iam antea fractae magis collabuntur, & stasi inflammatoriae discutiendae minus amplius sufficiunt. Vnde spes omnino in angusto est posita, & plenumque sphacelus, orniumque rerum clausula, mors, sub purpurae albae eruptione, facillime obrepit.

§. XVII.

In leuiori contra arui muliebris inflammatione omnia sunt mitiora. Siquidem tum lochiorum fluxus vel non penitus cessat, sed tantum iusto est parcior, nulloque seruato ordine mox in conspectum venit, mox iterum deficit, vel tamen si desit, ex facilī redit. Quae vero cum ita sint, minime profecto sanguis cum reliquis humoribus adeo magnam subit corruptionem, nec adeo facile lymphaticus latex aduersa qualitate imbuitur, sed sanguini

guini tantum eiusque serofae portioni, a sordibus in vtero retentis & quoad partem retroactis, maior conciliatur acrimonia salina, vel ea saltem, quae iam in prægnatione contracta est, purpuræque rubrae materiam & pabulum præbere solet, accumulatur, magisque actiuam redditur. Atque haec ipsa si deinceps mediante motu febribili ad cutim propellenda, ibidemque excernenda est, fieri hoc solet maiori naturae energia, & sub placidiori symptomatum decursu, morbi que saepe declinatione, ideo quod malignitas, quae magna virium prostratione potissimum nititur, in rubro hoc exanthemate plerumque deest. Idem ferendum erit iudicium de purpura vesiculari, quae ex iisdem rationibus leuiori vteri inflammationi præcipue iungitur.

## §. XVIII.

Hactenus dicta ad hypothesin §. XV. adsertam facili quoque negotio possunt applicari. Etenim quum alba purpura ordinarie insignem motuum omnium defetum, siue malignitatem, secum ferre soleat, haec sane longe expeditius sub grauiori, quam leuiori vteri inflammatione, poterit succrescere. Febris enim in illa longe vehementior, vires corporis magis atterendo, ipsum progressiuum sanguinis motum imminuit, adeoque hac ratione impedit, quo minus rubicunda sanguinis portio, cum materia excernenda ad cutim simul intimius propulsa, ibidem transpareat. In leuiori autem stasi inflammatoria fieri hoc omnino potest, quoniam, quae ipsi complicatur, febris leuior multo, minus virium adserit decrementum; vnde etiam purpura rubra aut vesicularis tum maxime est solemnis.

## C

## §. XIX.

18      *De purpura puerperarum symptomatica*

§. XIX.

Equidem non nego, rubram pariter atque vesicularem purpuram interdum etiam graviori vteri inflammationi symptomatis loco posse accedere, si haec, praesertim a causis quibusdam externis ac violentis cito subnata, subiecta ceteroquin sana, vegeta, nec adeo magna humorum sub grauiditate collectorum impuritate praedita, corripit. Attamen hoc paulo rarius occurrit, & sane non eueniret, quando notabilis humorum dyscrasia, ut supposuimus & plerumque fieri solet (§. XVI.), graviori inflammationi complicaretur. Neque porro inauditum, sed in artis exercitio subinde obuium est, quod propter imbecillitatem naturae, magnamque succorum corruptelam, & alios in regimine & medendi methodo commissos errores, nonnunquam alba etiam purpura leuiori inflammationi vterinae superueniat. Tum vero similiter non ab hac ipsa, sed ab aliis aduentitiis dependet causis. Quum vero a potiori fieri debeat denominatio, nemo, sicut spero, mihi vitio vertet, me in superioribus albam purpuram speciatim grauioris, rubram vero atque vesicularem leuioris vterinae inflammationis symptoma declarasse.

§. XX.

His ita expositis proximum nunc est, ut, quid spei, quidue periculi alat purpura vterinae inflammationi nupta, disquiram. Et licet iam supra in describenda morbi historia & alibi hinc inde prognostica quaedam intermischuerim, non tamen abs re fore reor, omnia collectim hic proponere, & specialia nonnulla eum in finem adiicere, ut de decursu & euentu morbi eo rectius ferri possit iudicium. Primo autem in genere notare licet,

licet, eam symptomatum omnium esse rationem, vt, si salutaria & critica declaranda sint, ad ipsius morbi, quem comitantur, solutionem conferre debeant. Iam vero alba purpura ad staseos inflammatoriae, in vtero conceptae, discussionem nihil prorsus facit, sed eandem potius in deterius conuertit, magnamque succorum vitalium impuritatem atque corruptionem indicat (§. VII.). Ergo sane symptomatis minus salutaribus erit adnumeranda, & recte omnino, vnanimi Medicorum consensu, ceteris purpurae speciebus longe periculosior habetur, tum quia semper est maligna, tum quia profundiori maxime inflammationi iuncta, felicem huius sanationem magis impedit, saepeque non obscurum eiusdem in sphacelum pronae, vel iam mutatae praebet indicium. De rubra autem & vesiculari purpura mitius esto iudicium; siquidem vtraque per se benignior est, leuiorique inflammationi plerumque accedit, cum qua ceteris paribus faciliorem recipit medelam. Imo nonnunquam, si placide decurrit riteque tractatur, secus ac alba, ad feliciorem morbi primarii solutionem contribuit. Purpuracea enim materia, quae humoribus semel inhaeret, debite expulsa, vasa spasmio antea constricta relaxantur, & liberius fit sanguinis circuitus, quo dein mediante ipsae subsistentes sanguinis moleculae, in motum rursus abreptae, inflammationem ex voto solvunt. Saepe tamen rubra quoque & vesicularis purpura ancipitis est euentus, si vel in albam transit, vel si haec intermiscentur, vel si retrocedens & ad partes nobiliores internas relapsa, gravia excitat symptomata, quae saepe tanta saeuunt ferocia, vt vitae scenam praemature claudant.

## §. XXI.

Deinde omnis omnino purpura peioris est indolis malique praesagii, quae talia inuadit subiecta, quae ob inordinatam in grauiditate diaetam, neglectamque venaectionem, magna sordium recrementiarum scatent copia, vel hanc, quod peius est, a vasorum capillarium in visceribus & emunctoriis infarctu vel obstructione accumularunt, vel demum, quae immoderatis animi affectibus, maximeque curis & diurna moestitia, vires corporis valde debilitarunt, adeoque iam in secunda valitudine praesidia consumserunt aduersae. Tum quoque in omni, in primis autem in alba purpura, merito inter mali omnis signa referri debet, si deliria, vigiliae & inquietudines, cum anhelosa respiratione pulsuque celeri & duro, parum vel nihil de vehementia sua remittunt, si viribus mirum deiectis ad lipothymias adest propensio, si vrina, ad quam frequens est stimulus, mingitur pallida, si sudores sunt largissimi, & aluus cum doloribus saepe fluida reddit. Tandem ad extrema iam peruentum esse, mortemque instare, colligere licet, si tendines subsiliunt, si internis ardentibus extrema frigent, & vice versa, si aegrotantes ex deliriis cito ad se redeuntes de nullo conqueruntur morbo, vel alto sopore oppressae immobiles iacent, si sudore inaequali & plerumque frigido perfunduntur, & inuoluntaria vrinae aliquae contingit excretio. Tum enim plerumque superuenientibus motibus convulsuvis, vel syncope occumbunt lethali.

## §. XXII.

Hactenus de indole, genesi & euentu purpurae symptomaticae satis videmur differuisse. Iam nihil superest,

pereft, quam vt apta simul methodo demonfremus, qua ratione pefsimus hic symptomaticus adfectus debeat auerti, vel, si iam praesens eft, decenter tractari. Ordiamur igitur a praeferuatione, quae noſtro quidem iudicio duplex eft; altera quae grauiditatem, altera vero, quae puerperium respicit: ideo quod purpuraceum miasma in vtroque hoc feminarum ftatu ex variis cauſis ſolet ori-ri (§.IX.). Praecipuum vero omnis praeferuationis momentu in eo ſitum eft, vt cauſas, morbum vel ſym-ptoma eiusdem procreantes, tempeſtive praefcindamus, & ne noxiū ſuum in corpore noſtro edant effectum, perite impediamus. Hinc, ſi purpurae genesis, quan-tum a grauiditate pendet, commode debet auerti, ea pro-fecto omnia, quae grauidarum ſanguinem atque humo-res impuritate qualicunque inficiunt, curatiuſ erunt vi-tanda. Quamobrem optime ſibi conſulent vterum ge-rentes feminae, ſi a nimia ciborum, maximeque duriorum, falitorum & acidorum repletione abſtinent, otium animique adfectus ſerio fugiunt, venam aliquoties, ſi plethoricae ſunt, & nouiſſime quoque ante partum, fe-candam praebent, alii libertati ſtudent, & a refrigerationibus non modo corpus probe defendunt, ſed huius quoque transpirationem cum reliquis excretionibus per moderatum motum, ſufficientemque diluentem potum promouent.

### §. XXIII.

In puerperio quum purpurae prouentus ab vterina inflammatione potifſimum dependeat, omnes omnino cauſae, quae ad hanc conferunt, omni follicitudine erunt praecauedae. Iam vero experientiam conſulentes de-prehendimus, a nimia ſanguinis & humorum commo-

C 3

tione,

22      *De purpura puerperarum symptomatica*

tione, a spasmis, & a deficiente vel inordinato lochiorum fluxu, vterinam inflammationem, puerperis familiarem, praecipue suam ducere originem. Ergo ipso in partu exulet praematurus, aut sanguinem commouens nimius ad accelerandam foetus exclusionem nisus, omnia remoueantur pellentia partumque promouentia, tam calida, vt aloëtica, aromatica, olea aetherea & valde spirituosa, quam etiam stimulantia, cuius generis purgantia esse solent atque emetica. Superatis autem partus laboribus puerperae offerantur lenientia & spasmos sedandi vi praedita, & maxime quidem decoctum chamaemeli & avenaceum, iuscula animantium pinguia cum oleo amygdalarum dulcium & spermate ceti, nec non, si sanguis aestuat, temperantia diaphoreticis nupta; dein quoque regimen teneatur moderate calidum, animusque tranquillus & ab adfectuum nimia intemperantia liber seruetur. Sedato sic tumultu, ad expurgandum sanguinem, succosque feculenta ex vteri latibulis blande euehendos, pilulae exhibeantur balsamicae, ad mentem BECCHERI, HOFFMANNI & STAHLII confectiones, quae in hoc casu eximiam & innumeris comprobata exemplis praestant energiam. Atque singula haec ita sunt comparata, vt ad pernicialem vteri inflammationem auertendam plurimum conferant.

§. XXIV.

Quodsi vero, salutaribus hisce consiliis vel neglectis, vel aliis concurrentibus causis, vterus nihilominus inflammatur, & purpura simul symptomatice accedit, praecipua medentis intentio ad morbum primarium sanandum erit dirigenda, nihilque Medico prius, nihil posterioris esse debet, quam vt stasis in vtero conceptam blande resol-

resoluat, & cessantem vel inordinatum lochiorum fluxum, qui illam tantum non semper fouet atque sustentat, apta & secura methodo reuocet, aut in ordinem redigat. Quia autem ratione hoc perficiendum sit, meum non est, hic multis verborum ambagibus exponere, sed haec potius ab iis debebunt repeti, qui de curatione vterinae inflammationis praeceperunt & ex instituto egerunt. Multo magis breuiter strictimque iam ostendere annitar, quid faciendum sit, si purpura tanquam secundarius morbus superuenit, vt paulo plenius constet, an & quatenus in illa methodus idiopathicō adfectui dicata retinenda sit, an immutanda.

### §. XXV.

Quod primo ad *rubram & vesicularem* attinet *purpura*, in hac, si instat, vel iam efflorescit, continuanda erit methodus inflammationi opposita, quae potissimum pulueribus diaphoreticis, mixturis eiusdem indolis dia-phnoicis, potibusque absoluitur diluentibus, ex hordeo, rasure cornu cerui & radice scorzonerae decoctis; si modo hoc excipiamus, quod clysteres pilulaeque balsamicæ, & alia lochiis reuocandis destinata, tum temporis paulo cautiū adhiberi, vel quod tutius est, plaine omitti debeat, ne forsitan naturam, in expellendis exanthematibus occupatam, turbemus, ac grauiora accersamus symptomata.

### §. XXVI.

Praeter haec vero, quum vtraque haec purpura ad feliciorem inflammationis decursum non parum interdum conferat (§. XX.), eo profecto magis videtur necessarium, vt omni, qua par est, circumspectione tractetur. Hinc si eiusdem expulsio iusto languidius succedit, vel noxia metuenda est retrocessio, non de nihilo est,

est, tum infusis calidis, tum quoque, matutino in primis tempore, vbi plerumque aliqua aestus febrilis obseruatur remissio, paucis guttulis essentiae scordii, liquori anodynio nuptae, languentem naturam adiuuare, vel etiam, si aliae consentiunt circumstantiae, vesicatoriis ad suras applicatis virus internis incumbens partibus euocare, motusque deficientes paululum excitare. Quodsi autem e contrario effrenes spastici motus eruptionem pustularum miliarium retardant, neque inanem grauioris mali metum incutint, ad illos componendos omnino licitum est, pulueribus diaphoreticis leniterque nitrofis momentum castorei & croci adiicere, aut liquorem anodynnum mineralem in refracta dosi interponere.

## §. XXVII.

*Alba in purpura* similiter quidem per remedia §. XXV. allegata vterinae inflammationis discussio, quantum fieri potest, erit procuranda. At vero, quum ea huius exanthematis sit indoles, ut ingenti virium imbecillitate stipatum malignitatis notam praeseferat, optime sane tum prudens consulat Medicus, si habita in primis virium ratione, temperata analeptica propinat, & aquas praesertim hac virtute praeditas mixturis diapnoicis admiscet, seduloque ceterum monet, ne laborantes feminae situm forte erectum occupent, sub quo, experientia teste, animo linquuntur facilime. Plura Medicus arte sua hic praestare non valet.

## §. XXVIII.

Solent praeterea Medici nonnulli, satis aliquoquin celebres, cum in omnis generis purpura, tum vero etiam in idiopathica, camphoram pulueribus diaphoretico-nitrofis additam multis commendare encomiis. Si tamen meum

meum interponere licet iudicium, ratione & experientia ductus firmiter statuo, parum illam in vera praestare purpura, operae autem pretium omnino facere in symptomatica, & maxime quidem inflammationibus iuncta. Camphora enim excellentissimum, & prope specificum omnis generis inflammationum est remedium. Hae igitur quando ipsius ope & salutari virtute discutiuntur, ipse quoque morbus, qui inde pendet, secundarius insigne accipit leuamen, ceterisque consentientibus eo facilis sanatur. Probe tamen hic animaduertendum esse reor, minime eandem in purpura alba, sed in rubra tantum & vesiculari, si tardior minusque æquabilis & constans sit eruptio, itemque in segnioribus subiectis, locum habere.

### §. XXIX.

Sic igitur in curatione purpurae symptomaticae maxime omnium ad inflammationem vterinam, ceu morbum primarium, respiciendum esse, in propatulo est. Quum vero ad stasin inflammatoriam feliciter resolendum, fluxumque lochiorum subsistentem reuocandum, sanguinis e vena secta missio praecipuum & efficacissimum soleat esse remedium, merito iam in quaestione venit, an hoc ipsum tum quoque temporis secure queat adhiberi, si forte purpurae signa iam emicant, vel si haec iam efflorescit? Sic autem in decidenda hac vexatissima quaestione iudicandum esse arbitror: In purpura alba, quae nunquam non malignitatem, siue summam virium defectionem, largissimosque sudores cum pulsu debili habet comites, omnis omnino venaesatio penitus debet omitti; siquidem inde non modo vires, ad superandum morbum necessariae, vna cum sanguine effunduntur, sed

D

ipsa

26      *De purpura puerarum symptomatica*

ipsa quoque vasorum resistentia valde imminuitur, qua  
imminuta spastici motus magis increscunt, & sic vel sta-  
sis inflammatoria augetur, vel ad conuulsuos motus  
ipsamque mortem facillimus fit transitus.

§. XXX.

Purpura rubra contra venaesctionem omnino ad-  
mittit, imo in plethoricis saepe postulat; qua decenter  
administrata non raro eximiae pectoris angustiae, diffi-  
ciliis respiratio & animi ad deliquia propensio feliciter  
cessant, fluxus lochiorum recurrit, & liberior sanguinis  
ad superficiem corporis motus, cum ipsa purpurae ex-  
pulsione, salutariter procuratur. Debet autem in tem-  
pore, & tunc statim vena secari, si, praeuia lochiorum re-  
tentio, alternans frigoris atque caloris in cute senfa-  
tio, molestiae in dorso pectoreque puncturae, inquietudi-  
nes, vigiliae & similia, purpurae aduentum indicant, vel  
si haec iam efflorescens, ob nimiam sanguinis molem,  
prodire renuit. Verum enim vero, si villo in morbo  
iusta sanguinis e vena tusa emitendi portio paulo curio-  
sius & accuratius determinanda, prouideque curandum  
est, vt pro viribus & plethora, neque nimia, neque par-  
cior eius quantitas euocetur, fieri id sane in hoc inprimis  
casu debet, nisi loco sperati auxilii maiorem accersere  
velimus noxam. Iusto enim parciori sanguinis demta  
copia, ille qui remanet, ampliori nacto spatio, non modo  
maiori celeritate per vasa traicitur, febremque magis  
accendit, sed impetuosius quoque ad partem affectam  
affluens stasis inflammatoriam adauget, ipsamque purpu-  
ram turbando, totum morbi decursum mirum pessundat.  
Quodsi autem iusto plus emititur, stasis sanguinis dissol-  
uenda magis obfirmatur, & debilitato solidorum tono ac-

mo-

motu, purpurae eruptio aut impeditur, aut quae prodiit, stationem suam non seruat, sed cum periculo facillime disparet.

### §. XXXI.

Idem similiter valere arbitror de purpura vesiculari, a rubra parum diuersa. Quae vero quum, praeter seri acrimoniam, largiorem simul eius redundantiam pro causa materiali agnoscat (§. XIV.); perinde sane accuratam fanguinis subtrahendi mensuram desiderat. Atque haec vel ideo eo magis seruanda est, quia inter Medicos artem exercentes satis superque constat, corpora serosa a venaesectione p[ro]e ceteris facillime laedi.

### §. XXXII.

Possem nunc, in maiorem rei fidem, haec tenus dicta variis auctorum testimoniiis sine negotio corroborare. Sed ne praeter necessitatem nimis longus sim, verba pro me faciat Illustris HOFFMANNVS, qui in *Med. System. Tom. IV. Part. I. Sect. II. Cap. X.* utilitatem venaesectionis, in purpura inflammationis vterinae symptomatica, his verbis egregie ostendit: *In uteri inflammatione ex p[re]cipuis lochiiorum fluxum reuocantibus auxiliis est venaesectione. Nec deterreri se patiatur artifex symptomatum grauitate, neque etiam ipsa purpura efflorescente, sed eandem confidenter admittat, si indicationes adsunt, quas idem grauissimus auctor in libro cit. Sect. I. Cap. IX. Obs. VI. pag. 221. in Epicrisi, in hunc modum eleganter suppeditat: Fundatum quidem in experientia est, non tentandum esse sanguinis missione, ubi purpurae eruptio instat, aut modo facta; dantur tamen casus, ubi sumnopere necessarium, ut hoc etiam tempore sanguis mittatur. Non nunquam enim lochiis restituantibus, aut parcus iusto fluentibus, sanguis*

28 De purpura puerarum symptomatica &c.

guis redundans, ob spasmos in abdomen, cum impetu urgetur & congeritur ad cor & cerebrum, ibique atrocia & lethifera suscitat symptomata, quae perperam vulgo reversione materiae exanthematicae tribuuntur. Hinc si per venae sectionem sanguis superfluus subtrahitur, cessant illico pathemata, & liberiori ac aequabili factio circuitu, eruptio expedite succedit summo cum leuamine.

§. XXXIII.


Tandem colophonis loco de regimine scitu quae-dam necessaria placet adiicere. Sciendum itaque, regimen perinde, ac ipsam medicationem, esse debere temperatum, seu ita dispositum, ut nulla in re modum exce-dat. Inprimis autem aegrotantes feminae in moderato & aequali lecti atque conclusis calore perpetim seruen-tur, ne vel nimius aefsus vires imminuat, anxietatesque pectoris adaugeat, vel paulo frigidior externus aer aequali purpurae eruptioni resistat, aut hanc cum damno repellat. Denique lecti & indusiorum crebra absit mutatio, & quod maximum est, in purpura inprimis alba-fitus erectus serio vitetur. Atque sic de purpura puerarum symptomatica, ex vteri inflammatione, satis mihi videor differuisse, nihil putans reliquum, quam vt leuidenses hasce pagellas aequo B. L. iudicio de meliori commendem, & hic dicendi faciam

F I N E M.

01 A 6576



TAOG  
S6,



**Farbkarte #13**



B.I.G.

29  
ATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

# A PVERPERARVM MPTOMATICA RI INFLAMMATIONE

QVAM

SV ET AVCTORITATE  
SI MEDICORVM ORDINIS  
REGIA FRIDERICIANA

SPECIMINIS LOCO

## RADV DOCTORIS

MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
ORALIBVS RITE IMPETRANDIS  
IE IV. APRILIS MDCCCLIII.

RVM CENSVRAE EXHIBVIT  
LOEW SOBERNHEIM  
OGONO - BINGENSIS  
GENTE IVDAEV.

\* \* \* \* \* \* \* \* \* \* \* \* \* \* \* \*  
HALAE MAGDEBURGICAE  
FICINA HILLIGERIANA.